11.

DISPUTATIO QUÆSTIONUM POLITICARUM TERTIA,

De

MAGISTRATU,

Quam

Juvante Altissimo,

In

Illustri Academiâ Wittebergensi,

PRAESIDE

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

DN. M. VALENTINO KINLENIO,

Prausnicense Silesio, Ampliss. Facult. Philosoph. Wittebergensis Adjuncto dignissimo, Fautore & Præceptore suo ætatem colendo.

Publicè defendet

CHRISTOPHORUS Eichhorn
Gura-Silesius

Ad diem 15. Augusti horis à 7. mat.
In Auditorio Majori.

WITEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

ANNO CIϽ IϽC XXVIII.



QVAESTIO I.

An Magistratus possit bella gerere?

QUod non, probāt *Anabaptistæ* his argumentis. *Quicquid competit brutis, illud non competit hominibus. Atqui bella gerere competit brutis. Ergò non hominibus.* 2. *Quicquid causat injustas cædes, & prædas, illud Magistratui non est licitum. Atqui bellum causat injustas cædes, & prædas. Ergò bellum Magistratui non est licitum.* 3. *Quorum arma sunt spiritualia, illorum non sunt carnalia sive corporalia. Sed verum est antecedens de Magistratu Christiano. Ergò & consequens.* Verum Magistratum posse bella gerere duabus probatum damus rationibus, quarum prima desumitur I. Ab officio Magistratus. *Cui cura & defensio subditorum est injuncta, illi licet bella gerere. Atqui Magistratui cura & defensio subditorū est injuncta, Ergo Magistratui bella licet gerere.* 2. A fine. Bellum est pacis & concordiæ acquisitio & propagatio, discordiæ & turbarum sedatio. Hæc autem non solum sunt licita, sed etiam necessaria & utilia Ergo & illud, bellum scilicet erit licitum & necessarium. Ad primum argumentum Adversariorum Resp. I. Indirectè & per *Instantiam*: *Quicquid competit brutis, illud non competit hominibus. Atqui sibi simile gignere competit brutis. Ergo non hominibus.* Conclusio est absurda. Ergo vel Major vel Minor. At non Minor. Ergo Major. 2. *directè & per limitationem*: Quicquid competit brutis tantum, illud non competit hominibus. At sic limitatâ Majore propositione cadit minor. Non enim brutis tantum competit bella gerere, sed etiam Magistratui. Quia & hic suos habet hostes, quibus armis & bello resistat necesse est, si cum subditis in pace vivere velit. Quapropter in Minore committitur *Fallacia petitionis principij.* Ad secundum *argumentum* Resp. I. *per limitationem*: Quicquid causat injustas cædes & prædas *per se*, illud Magistratui non est

 licitum.

licitum. At sic negatur Minor. Non enim *per se* bellum causat injustas cædes & prædas sed tantum *per accidens*. Committitur ergo in Minore *fallacia accidentis*, 2. per *distinctionem*. Distinguendum namq; est inter *ipsum bellum & belli abusum*. Hic quidem causat injustas cædes & prædas: at secus ipsum bellum. Ad tertium *argumentum* Resp. per *limitationem*: Quorum arma sunt spiritualia *tantum*, illorum arma non sunt corporalia. At sic negatur Minor. Laborat ergo Minor *fallacia petitionis principij*. Taceo, quod nulla sequela huic argumento insit. Perinde enim est ac si ita argumentarer: *Quorum studia sunt spiritualia, illorum studia non sunt corporalia. Atqui piorum studia sunt spiritualia.* Quippe versantur circa sacra, legunt biblia, audiunt verbum Dei. *Ergo piorum studia non sunt corporalia*, ut pote agere mercatorem, pannificem & id genus alia. Committitur itaq; *Elenchus oppositorum*.

QUÆSTIO. III.

An libri hæreticorum à Magistratu comburi queant?

Hic non est in quæstione, an Magistratus habeat jus in manifestè blasphemos & impios hæreticorum libros ita, ut eos abolere & comburere posśit. Hoc enim non negamus, sed potius, si necessitas postulat, adfirmamus & Magistratum adhortamur, ut tales manifestè impios libros hæreticorum, quales sunt notoriè blasphemi, magici, & famosi, è medio tollat, & igni tradat. Sed hoc quæritur, an Magistratus quosvis hæreticorum libros sine ullo discrimine, etiamsi nō sint manifestè impij & blasphemi, ut sunt *libri eruditi*, de religione ex verbo Dei, licet non rectè satis intellecto, differentes, & literatis præsertim eripere, abolere, & cremare queat. Hoc modo propositam quæstionem negamus, propterea, quod nullum Sacris in literis mandatū extet, ut sine discrimine quævis hæreticorum scripta crementur. Addimus & illud, quod Christus & Apostoli Pharisæorum, Saducæorum, Essæorum scripta lectoribus non eripuerint, & igni tradiderint. *Pontificij* affirmant. Cum autem probatio incumbat affirmantibus, ideoque rationes quibus hanc quæstionem probatam dare allaborant, audiemus & solvemus. Duas solent *Pontificij* in medium adducere rationes, quarum primam sumunt, A more gentilium, qui libros suæ religione contrarios combusserunt.

Hæc

Hinc tale argumentum formant: *Quod gentiles fecerunt, illud Magistratui est licitum. Atqui gentiles combusserunt libros suæ religioni contrarios. Ergo etiam Magistratui est licitum*. Secundam rationem sumunt à vitatione librorum hæreticorum. Hinc colligunt: *Quod est vitandum, illud est cremandum. Atqui libri hæreticorum sunt vitandi. Ergo libri hæretici sunt cremandi*. Ad prius argumentum Resp. I. *Indirect. & per instantiam*: *Quod gentiles fecerunt, illud Magistratui Christiano est licitum. Atqui gentiles adorarunt cœlum, lunam, solem &c. Ergo illud licitum est Magistratui Christiano*. Conclusio est absurda. Quippe Scripturæ contraria, quæ docet, solum Deum esse adorandum, Matt. 4. Ergò quia non Minor, Major absurda 2. directè & per limitationem: Quod gentiles fecerunt, secundum præscriptum legis naturæ sive rectæ rationis, illud Magistratui Christiano est licitum. At sic limitatâ majore propositione negatur Minor. 3. per *distinctionem*. Distinguendũ namque est *inter facta verbo Dei conformia* & *inconformia*. *Illa* sunt imitanda: *hæc* non item. At præsens factum Ethnicorum de combustione librorum hæreticorum quod verbo Dei sit conforme, quomodo probabunt *Papicolæ*? Denique & 4 resp. per *fallaciæ monstrationem*. Committitur enim in hoc argumento *fallacia consequentis*. Quippe non sequitur: *Gentiles combusserunt libros suæ religioni contrarios. Ergo idem licitum est Magistratui Christiano*. Alias sequeretur ipsos gentiles etiam rectè fecisse, si biblia cremassent, quod absurdum absurdorum absurdissimum. Ad posterius argumentum Resp. I. *Indirecte* & per *instantiam*. *Quod est vitandum, illud est cremandum. Atqui Diabolus est vitandus. Ergo Diabolus est cremandus*. Conclusio est absurda. Ergo vel Maior vel Minor. At non Minor. Ergo Major. 2. *directè* & per *limitationem*: Quicquid est vitandum *simpliciter*, illud est cremandum. At hæreticorum libros esse *simpliciter* vitandos, negatur. 3. per distinctionem. Distinguendum enim est Inter liberorum hereticorum vitationem totalem & partialem. *Hanc* concedimus, *illam* negamus. 2. Inter *libros hæreticorum manifestè impios, & eruditos*. *Illi* sunt vitandi simpliciter, *hi* vero secundum quid. 4 per *fallaciarum demonstrationem*. Committitur enim in hoc ultimo argumento I. *fallacia æquivocationis*. *Nam τὸ vitare* aliquid duplex est, *absolutũ* & *limitatum*. Major loquitur de *vitatione absolutâ*, Minor de *limitatâ*. Sunt igitur quatuor termini 2. *fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Non

enim *ſimpliciter* libri hæreticorum ſunt vitandi, ſed tantum *ſecundum quid*, ſi nimis frequenter, & non animo omnia probandi, neque bonum eligendi, neq; hæreſes cognoſcendi, & hæreticos convertendi liguntur. 3. *fallacia cauſæ*, dum *ſola vitatio librorum hæreticorum* cauſa combuſtionis ſtatuitur. 4. *fallacia conſequentis*. Quippe ſequela putida. *Frequens & nimis curioſa lectio librorum hæreticorum eſt vitanda. Ergo libri hæretici totaliter ſunt comburendi.* Quaſi verò libros hæreticorum non poſſemus vitare, etiamſi inrerum natura relinquerentur. Taceo quod omne id, quod fugiendum, neceſſario exiſtat. E.G *Serpens eſt vitandus. Cur. Quia eſt animal noxium & peſtiferum.* Hoc ſi vitari debeat, in rerum naturâ exiſtat neceſſe eſt. Alias ſi non exiſteret, vitandum non eſſet, neq; vitari poſſet. Probo. Quia non Entis nullo modo exiſtentis nullæ ſunt devitationes.

QUÆSTIO III.

An Magiſtratus in Repub. Chriſtiana nulla ratione ferre poſſit ſaltationes?

Negativa placet *Calvinianis* propterea, quia I. ſaltationes trahunt orignem ab Ethnicis 2. ſunt plenæ impietatis 3. ſunt Diaboli retia 4. ſcandalum præbent ſpectantibus. 5. ſunt libidinoſi animi argumentum 6. extremum afferunt ſaltantibus periculum. Sed nobis *affirmatio* arridet. Nam I. per ſe ſunt res indifferens 2. *quia* Scriptura earum meminit, & non improbat ut Eccl 3, 4. 3. *quia* faciunt ad virium tàm corporis, quam animi recreationem & conſervationem. Ad rationem *primam* Adverſariorum *Reſp.* eam non eſſe ſimpliciter, & univerſaliter veram: quia patitur inſtantiam. Subſumere enim poſſum de Philoſophiæ ſtudio hoc modo: *Quicquid trahit originem ab Ethnicis, id in Repub. Chriſtiana non eſt ferendum. Atqui Philoſophiæ ſtudium trahit originem ab Ethnicis. Ergo Philoſophiæ ſtudium non eſt ferendum in Repub. Chriſtiana.* Abſurdum. Ac proinde limidanta erit. Quicquid trahit originem ab Ethnicis, *ut Ethnicis*, illud non eſt in Repub. Chriſtiana ferendum. At ſic limitatâ majore propoſitione laborat minor. Nam ſaltationes ab Ethnicis *ut Ethnicis* originem trahere quâ ratione firmâ *Caluvinians* probabunt? Quapropter in Minore committitur *fallacia petitionis principij*. Ad ſecundam *Ract.* reſpond. diſtinguend.: *inter ipſas ſaltationes, & ſaltationum abuſum. Hæ* quidem plenæ

impie-

impietatis est; at secus *ipsæ saltationes*. At has vocare impias, easq; plane tollere propter earum abusum; annon insani est? Nihilominus sic se defendere conantur Calviniani. Si Patres pij, alijque viri docti propter abusum ipsas saltationes damnarunt, sequitur idem nobis faciendum esse. Quare? quia illi piè fecerunt quod ex eo palam est, quia hac in re omnes consentiunt. At verum prius. Ergo & posterius At *respon.* ad Maiorem, concedendo quidem, facta Patrum pia imitanda esse: at negando præsens tale esse. Probatio quidem à communi consensu desumpta affertur: at ea nullius est momenti. Nam non sequitur: plures in hac re consentiunt. Ergò rectè consentiunt. Potest siquidem fieri, ut omnes errent. Assumptionem quod spectat, admodum vereor, ut ea vera sit Nam quod abusum saltationum Patres illi vituperarint, facilè credo, & concedo. At quod propter abusum ipsas saltationes reiecerint, incredibile mihi videtur. Probo. Viri enim isti docti & sapientes fuêre Quî ergo tàm stultam opinionem fovissent, ut dicerent, ob abusum ipsam rem statim esse tollendam. Hac ratione enim nulla lex in Repub. Christiana ferenda esset. Quia ejus dari potest abusus. Ad tertiam *Rat. respond.* disting. inter *saltationes libidinosas & jocosas*. *Illæ* diaboli sunt retia: at *hæ* non item. At nos hic non quærimus de libidinosis, sed de jocosis saltationibus. Ad *quartam Rat.*: respond eam veram esse de *scandalo accepto*, non *dato* Ad *quintam* Rat. respond. committi ibi *fallaciam accidentis*. Non enim *per se*, sed tantum *per accidens* saltationes sunt libidinosi animi argumentum. Ad *sextam* & ultimam *Rat. respond.* eam itidem *fallacia accidentis* laborare, 2. etiam *fallacia causæ*. Neque enim saltationes ipsæ sed earum abusus extremi periculi saltantium causa 3. à particulari procedere. Multis quidem saltationes nocumento sunt: at non omnibus. Quare memores sint *Calviniani* præcepti Logici *A particulari ad universale non valet consequentia*.

QUAESTIO IV.

Num Magistratus infidelis aut hæreticus imperare possit Christianis:

Pontificij pro negativâ afferunt Exemplum *Ehud* qui Regem Moabitarum interfecit *Iud. 3, 22.* At *Affirmandum*. Nam *quicunq; Magistratus à Deo, ille Christianis imperare potest. Atqui Magistratus infidelis, & hæreticus*

est

est à Deo. Os. 13. Rom. 13. expreſſe dicit Paulus, *Omnis Magiſtratus eſt à Deo.* Jam ſi Magiſtratus infidelis & hæreticus non eſſet à Deo, ſequeretur, quod non omnis Magiſtratus foret à Deo, quod tamen Paulus affirmat. *Ergo Magiſtratus infidelis & hæreticus Chriſtianis imperare poteſt.* Adde quod in *V. T.* & ſub *N. T.* initium Magiſtratus infideles & hæretici Chriſtianis imperarint. In *V. T.* imperabat *Iſraelitis Cuſam Riſathaim Rex Macedoniæ Iud. 3, 8. Iabin Rex Canaan Iud. 6, 1. Nabuchodonoſor Ierm. 27, 6. pro cujus ſalute orare ipſos juſſit Deus Ierm: 29.7.* Sub initium Novi Teſtamenti Chriſtianis imperabant *Ethnici Magiſtratus*, quibus obſequium & reverentiam, tributum & vectigal præſtare, quin & preces pro ipſis fundere *Chriſtus* & *Apoſtoli* juſſerunt *Matt. 22, 21. Rom. 13, 4. 1. Petr. 2, 13. 1. Tim. 2, 1, 2.* Ad exemplum *in negativam* partem adductum *reſp.* 1. illud nihil evincere. Siquidem factum prolatum *Ehud* non ad imitationem, ut alia quam plurima, in literas eſt redactum. Quippe factum heroicum & ſpeciale. *A facto autem heroico & ſpeciali ad commune & univerſale non valet conſequentia.* 2. Quod *Ehud* interficiens *Eglonem* expreſſum habuerit verbum ad hanc rem perpetrandam *Iud. 3, 19, 20.* Eâ enim cæde peractâ ſtatim additur; *Tradidit Dominus Moabitos inimicos noſtros in manus noſtras v. 28.* Monſtrent *Pontificij* & *Ieſuitæ*, ſi viri ſunt, tale verbum Domini de interficiendis Principibus ſua opinione hæreticis, & dicemus nos, Deum tradidiſſe eos in ipſorum manus quod nunquam monſtrabunt.

QUÆSTIO V.

An Magiſtratus Chriſtianum Iudæum interficientum vitâ privare poſſit?

Dubitatur. Vulgo enim dici ſolet: Wer einen Juden erſchlägt/ der thut keine Sünde. Idque inde, quia omni ſtudio Chriſtianos decipere allaborant. At enim verò *dubitationi ſolidum nullum ſubeſt fundamentum.* Etenim I. *Lex divina clara Gen 9, 6. Quicunq; effuderit ſanguinem humanum, per hominem fundatur ſanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* 2. Accedit huc quod *Magiſtratus non ſine cauſa gladium gerat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit Rom. 13. At Chriſtianus male agit Iudæum interficiendo. Ergo eum vitâ privare poteſt.* Ad *argumentum* ſeu *rationem*, quæ initio dubium movebat, *reſpond.* 1. Majorem non eſſe ſimpliciter veram. Patitur enim inſtantiam. Siquidem ſubſumi poteſt de *quibusdam Chriſtianis, qui etiam proximum omni ſtudio decipere ſtudent, qui tamen propterea non ſunt interficiendi.* 2. *committitur ergo fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* Nam non *ſimpliciter*, ſed cum *hac reſtrictione* & *limitatione* vera eſt *niſi lex divina prohibeat.* At ſic negamus *minorem.* 3. Hinc etiam *committitur fallacia cauſæ ſolummodum ſola deceptio Chriſtianorum cauſa interfectionis Iudæi ſtatuitur.*